



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Vtenburra seu Ottenbura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

Auentinus in Annalibus de hoc monasterio sic ponit: *Hactenus à popularibus, id est, secularibus sacerdotibus, postquam ab Vngariis exustum fuit occupatum, his pulsis, sacris D. Benedicti Henricus Imperator restituit, circa annum 1050. Fuit olim ibi monialium quoque coenobium.*

Henrico Hochenkurcher de Ildorf, Abbati Bonifacius Nonus dedit priuilegium Pontificalibus vtendi, itemque infula & baculo, anno 1402. Rexit XXX. annis laudabiliter. Resignat anno 1414. Ita Hundius in Metropoli Salisburgensi.

Elyvangense monasterium, in Franconia.

764.

Elephanciacum aliàs Elefancense, hodie Eltbangense monasterium in Franconia fundatum est anno 764. ab Hariolfo Episcopo Hingonensi, quem Pipinus & Carolus Magnus carissimum habuerunt.

Anno 1460. mutatum est hoc monasterium ex Abbatia in Præposituram, & ex monachis facti sunt Canonici seculares.

Vtenburra seu Ottenbura.

VTenburra seu Ottenbura in Guntiana valle ad Guntium amnem sita, olim oppidum & castrum Comitum Ilergouiz, nunc verò monasterium præpotens ac pulcherrimum ordinis D. Benedicti, fundatum

• est sub

est sub Honorio Pont. Max. pro XII. monachis in honorem Dei Opt. Max. Principisque Apostolorum Petri, inuictissimi que Martyris Alexandri, à Sylacho Francorum Duce, Alemanniæ Præfecto ac Ilergouiæ Comite eiusque coniuge Ermisuuinda, alibi Ermentrude, anno Christi 764. Diploma primæ fundationis tale habetur adhuc in eo ipso monasterio:

Anno incarnationis Dominicæ 764. regnante Carolo Magno glorioso Romanorum Imperatore, ego Sylachus ex Alemannia, vir nobilis ac præpotens, & vxor mea Erminsuuinda cum filijs nostris Gosberto in sancta Viennensi Ecclesia Episcopo, Tottone clerico simul, & Dagoberto laico, in domate proprio, quod diuisum ac separatim liberalissimè à cunctis heredibus contraximus & possidemus in loco qui vocatur Vttenburrha, secundum Ecclesiasticam institutionem & iudicum leges in Dei nomine construimus atque fundamus. Omnia igitur prædia vel mancipia, totamque familiam nostram omnipotenti Deo & B. Apostolorum Principi, nec non inuictissimo Martyri S. Alexandro ab hinc in legitimam ac perpetuam dotem pro incolumitate vtriusque vitæ & pro remedio animarum, parentum nostrorum, præfato monasterio delegamus, eo pacto eaque videlicet conditione, vt nulli homini liceat hanc donationem aliquatenus infringere, aut vquam commutare: sed ad victum fratribus & vestitum summo & vero Regi Deo inibi mi-

764.

litan-

litantibus perpetualiter deseruiant. Si quis autem inuasor (quod absit) aut tyrannus hanc nostre donationis confirmationem irruperit, anathema sit à Deo, & mors super eum æterna veniat, viuensque in infernum per omnia secula cruciandus descendat, Amen.

CAPVT XLI.

*Monasterium S. Martini de Ferran in regno
Castella & Alterum S. Martini de Ihama.*

772. **F**undarunt id monsterium Paulus Abbas monasterij S. Aemiliani, Ioãnes presbyter & Munius clericus an. 772. in honorem S. Martini, S. Iuliani & aliorum Sanctorum.

773. Anno sequenti fundatum est ab iisdem monasterium S. Martini de Ihama. Vt tradit Sandouallus lib. de Foundationibus monasteriorum benedictinorum in Hispania.

775. Ijdem fundarunt monasterium S. Romani de Doniscle anno 775. testibus iisdem.

CAPVT XLII.

Vinearum monasterium in D. Constantiensi.

Potentissimum istud cœnobium non procul à Rauenspurgo imperiali in Sueuis ciuitate, in perueteri pago Altorff ad Schuffium amnem, eo ipso, sed paululum
editi-